



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De reuelationibus & visionibus & imaginariis demonstrationibus. Cap.  
LXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)



se habet intelligentia simplicium deuotorum, Deuotio docti & deuotio indocti inter se cōferuntur.  
 & aliter literatorum. Literati enim sciunt subtiliter loqui de quacunque spirituali materia, & verbis proprijs exprimere quæ volunt, pulchrè diuidere & distinguere, causas & rationes congruas assignare, & sermone composito persuasibiliter & ordinatè proponere, & ex paruis quandoque longum texere tractatum, & ea quæ plana sunt & nota per se verbis artificiosis inuoluere: vt rudibus de intimis \* Prophe- \*al. philosophia.  
 tia medullis extracta videantur. Deuoti autem simplices clariùs vident veritatem in se, & profundius sciunt de ea cogitare, & pondus eius pensare, & saporis intimi venas per gustum affectus scrutari, & per puræ intelligentiæ radium quæcunque lucidiùs discernere: vel licet nesciant verbis expressis propriè distinguere, tamen ex ipso saporis gustu naturales veritatis differentias cognoscere magis valent, quàm per argumètorum coniecturas. Exemplum de quolibet mechanico artifice in arte sua perito, & de subtili Philosopho, quorum alter scit pulchrè de arte differere, & alter propriè operari.

*De reuelationibus & visionibus & imaginariis demonstrationibus.*

CAP. LXXIIII.

**D**ICTO de illis quæ ad affectum specialius spectant, videndum est breuiter de his quæ in spiritualibus experiencijs magis pertinent ad intellectum: vt sunt reuelationes secretorum, & visiones, & imaginarię demonstrationes; in quibus quidam de veritate aliquando erudiuntur, & plurimi deluduntur. His autem tanto minùs immorandum est,

A a 3 quan-



quanto frequentius eis innitentes decipiunt, & minor profectus est in talibus, etiam si vera sunt: licet à rudibus & spiritualium charismatum ignaris, magnæ sanctitatis & sapientiae virtus in huiusmodi consistere aestimetur.

*De quatuor generibus visionum.*

CAP. LXXV.

**Q**UATUOR sunt genera visionum, & totidem sunt genera revelationum, quamuis & visiones dici possunt & revelationes: quia in eis aliqua secreta revelantur. Quaedam visiones proprie possunt dici corporales, quæ vigilantibus corporaliter ostenduntur: ut Moyses *Exod. 3, 2* vidit Dominum in rubo ardenti, & Patres saepe Angelos visibiliter susceperunt. Ad hanc potest referri quorumlibet sensuum experientia: ut auditus, gustus, odoratus, & tactus: quia visus pro quolibet sensu poni potest. *Exod. Populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinae, &c.* Voces namque, & sonitum buccinae non visu, sed auditu percipere potuerunt. Aliæ sunt imaginariae visiones, quæ vigilantibus non corporaliter sed imaginariè ostenduntur siue in somno, siue in excessu mentis raptis: ut visiones Ezechielis & Danielis, & aliorum Sanctorum in nouo & in veteri Testamento. Aliæ similiter imaginariae, quæ dormientibus ostenduntur: ut Iacob vidit Dominum ianixum scalæ: & Pharaon & Nabuchodonosor somnia viderunt præfagia futurorum. Iste omnes conveniunt simul in hoc, quod non solum bonis, sed & malis saepe ostenduntur. Item quod quandoque veræ sunt, & per eas erudiuntur aliqui; & quandoque deceptoriae, quod aliqui per eas deluduntur. *Ezech. Visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis.*

1. Visiones corporales

*Exod. 3, 2*  
*Eccl. 18, 1* &  
*19, 1*

*Exod. 20, 12*

2. Visiones imaginariae vigilantium.

*Ezech. 1, 1*  
*Dan. 7, 1*

3. Visiones imaginariae dormientium.

*Gen. 28, 12*  
*Eccl. 4, 1*  
*Dan. 2, 1*

*Gen. 13, 7*